



Universitätsbibliothek Paderborn

Res Gestae Illvstrissimo-||rvm Martyrvm, Con-||fessorvm Atqve Sancta-||rvm Virginvm ...

Eorvm Praecipve, Qvae Per|| R. P. L. Surium sex Tomis compraehensae
sunt:|| et nunc restrictis verborum ambagibus ... ad ... D.|| Caesaris
Baronii Chronologiam|| digestae ac in quatuor Tomos distributae

Lippeloo, Zacharias

Coloniae, 1595

VD16 ZV 18288

S. Ediltrudis Reginae & virginis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-43699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-43699)

VITA S. EDILTRVDIS REGINAE

& Virginis, ex ea, quae est per venerabil. Bedam
 Histor. Ecclesiast. gens Anglorum Libr. 4. cap. 19.
 Floruit circa annum Domini 630.

23. Iunii,

Ediltrudis Annae regis Orientalium Anglo-
 rum filia, moribus & vitæ integritate sanè ad-
 mirabilis, primò principi cuidam viro Au-
 stralium Giruorum, nomine Tonbart, vinculo ma-
 trimonij sociata fuit: quo breui post tempore è vi-
 uis sublato, regi Egfrido sanctissimè copulata fuit.
 Cuius consortio cum annis admodum duodecim
 vteretur, perpetua tamen mansit virginitatis inte-
 gritate gloriosa: ac tandem magna ipsius regis vo-
 luntate regali diademate contempto in monaste-
 rio Ebbæ Abbatissæ vni regi Christo se consecra-
 uit.

Ediltrudis
 in coniugio
 permanet
 virgo.

Fit Abbatissæ.

Post annum verò fuit & ipsa in regione Elge vir-
 ginum monasterio præfecta, quas sanè sanctissimas
 vitæ caelestis, exemplis & monitis ad omnem san-
 ctitatem informavit: vnaque secum plurimas ad-
 portum salutis æternæ foeliciter perduxit. Vixit
 in magna vitæ austeritate linearum vestium us-
 que penitus sibi interdicto: diuinarum vero rerum me-
 ditationi ita dedita fuit ut à tempore matutinae sy-
 naxeos ad ortum usque diel incredibili spiritus fer-
 uore precibus & lachrymis intenta perseveraret.

Perpetua ab-
 stinentia c-
 ins.

Nunquam autem vel certè rarò admodum, idque
 non nisi corporis infirmitate virgente, bina refectio-
 ne in die usa est. Multo verè ante, quam è corpore
 migraret, clarissima mente cognouit, quo genere
 mortis nimirum pestilenti contagione moritura,
 multas virgines secum è suo monasterio de mundo
 raperet & in caelestem regionem referret.

Post.

Abit è vita,

Postquam verò annis septem illud sacrarum virginum collegium rexisset, vita sanctissime perfundita in ligneo locello sepulta est. Successerat autem ei in Abbatissa ministerium Sexburga soror eius Canconberti regis Cantuariorum quondam coniunx: quæ post decem annorum decursum, quo corpus eius tumulo illatum fuerat, voluit ossa eius celebriori loco sepulturae honorare. Cumque aperto tumulo sacrum sanctissime virginis corpus in lucem prolatum esset, ita incorruptum apparuit ac si eodem plane die vitali spiritu destitutum esset. Neque corpus modò sed ipsa quoque linteamina quibus inuolutum erat ita ab omni putredine & corruptione aliena inuenta sunt, vt ipso die viderentur castis eius membris esse circumdata.

Post multos annos corpus defuncte incorruptum.

Porro quod maiorem admirationem habet, quodque sanctitatis eius opinionem maximè auget, eorundem indumentorum tactu daemonia ab oblectis corporibus fugata sunt, & varij corporis languores pulsati: prorsus, vt multi certatim ad loculum eius confluerent qui optata sanitatis remedia post preces Deo oblatas reportabant.

Miracula ad vestes & loculum eius.

DE NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTAE ex R. P. Ludouico Granatensi.

¶ Vm Ecclesia in festis Sanctorum non dies quibus in hanc vitam ingressi sunt, sed quibus in alteram demigrarunt solenni ritu honorare solita sit, eoque natales eorum appellare, inquisitione dignum esse videtur, cur Ecclesia maiori solennitate diem hunc celebret, quo Iohannes in hanc vitam infinitis pauperum miserijs curisque refectam editus, quam illum in quo per gloriosam mortem

24. Iunij. Cur Ecclesia natiuitatem S. Iohannis celebret & aliorum sanctorum non item.